

KNY-18-00403

САМОСАДИЧИИ
САМОСАДИЧИИ

ETIQUETAS DE COLECCIONIS

○○一九八五年三月二日記述

ପ୍ରମାଣିତ କରାଯାଇଥାଏ ହୁଏବାକୁ

江右古文選

人所用者，皆是也。故曰：「人情有所不能忍者，此之謂也。」

卷之三十一

2007.2.1 22:5 50 01/010

D E

DISCIPLINARUM
PHYSICARUM

NOTIONIEUS

FINIBUS LEGITIMIS

E T

NEXUSSYSTEMATICO
DISSERTATIO.

SCRIPSIT

ERNESTUS GODOFREDUS FISCHER.

BEROLINI

TYPIS EXCUDIT HARTMANN,
IN COMMISSIS HABET W. OEHMICKE JUN.

CIO IO CC LXXXVII.

DE
DISCIPLINARUM
PHYSICARUM
NOTIONIEUS
FINIBUS LEGITIMIS
ET
NEXU SYSTEMATICO
DISSERTATIO.

SCRIPSIT
PRO SUMMIS HONORIBUS IN PHILOSOPHIA
OBTINENDIS
ERNESTUS GODOFREDUS FISCHER.

BEROLINI
TYPOGRAPHIA HARTMANNIANA
CIO IO CC LXXXVII.

KNY-18-00403



ARGUMENTUM DISSERTATIONIS.

§. 1.

Est uniuscuiusque disciplinae certa quaedam et determinata, non ex hominis arbitrio, nec e fortuito quodam rerum nexu, nec e lusibus phantasiae, sed ex ipsa et cognitionis humanae et rerum cognoscendarum natura pendens, idea; sine qua nec certi totius disciplinae termini, nec singulorum partium notiones terminique legitimi consti-tui possunt. Sed evolvere istam ideam, atque ita definire, ut nihil desit, nihil redundet, nihil alieni admixtum sit, difficile est, nisi omnibus fere disciplinae partibus iam illustratis perfectisque. Qui enim primi artium initia invenere, ii fere omnes nil nisi arctum quid et exiguum, vel vitae commodis, vel delectationi inserviens, quaelevrunt. An credas eos, qui primi in Aegypto Geometriam invenisse feruntur, altius quid quam agrorum emetiendorum artisicia cogitasse? Aucta vero deinde novis inventis disciplina majus quid quaeri incepit, certeque judices Euclidem excel-

A

sius quid vidisse, quam id quod ipsum nonne
Geometriae confiteretur, cum Elementa sua con-
deret. Nec tamen crediderim, hunc ipsum pro-
fundissimi acutissimique ingenii virum facile qui-
visse totius Matheseos ideam integrum, vel di-
stincte animo concipere, vel verbis reddere. Dum
enim maiores quaedam alicujus disciplinae regio-
nes adhuc nocte premuntur, vix fieri potest, ut
quisquam tanquam divinatione quadam totius di-
sciplinae terminos animo complectatur. Etenim
ne tum quidem hoc facile est, cum jam plurimae
disciplinae partes illustratae sunt. Per se enim dif-
ficle est notiones quascunque simpliciores evolve-
re, distinctissimeque animo concipere.

§. 2.

Est praeterea et alia causa, quae faciat, ut dif-
ficillimum sit nonnunquam veram completamque
alicujus disciplinae ideam reperire. Saepe enim
sit, ut vel ipsi primi ejus autores, vel successores
eorum, vana quadam specie decepti, naturae
viam deferant, et pro veritate opinionum commen-
ta persequantur, unde ipsam disciplinae ideam
depravari necesse est. Quis enim nescit, anti-
quorum philosophorum plurimos, pro theoria le-
gum intellectus, quam Logicam appellamus, spi-
nosas disputandi veritatemque et errorem con-
fundendi artes, astronomorum permultos pro
theoria motus siderum, deliria astrologica am-

plexos esse, eaque ratione ipsam illarum disciplinarum ideam depravasse.

§. 3.

Disciplinarum physicarum in primis ea fors fuit. Antiqui enim physici omnes, quos quidem novimus, non naturae leges investigabant, sed somniabant de origine totius mundi et rerum singularium, de natura deorum, et de similibus, quae prorsus extra humanae cognitionis terminos posita sunt. Hinc factum est, ut spuria quaedam Physices idea, inde enata, per tot saecula animos hominum occuparet, veritatisque viam obstrueret, donec inter recentiores primus Baco de Verulamio naturae viam monstraret, Newtonus alii que magni nominis viri ingrederentur. Attamen ad nostram ferme aetatem vix fieri potuit, ut quisquam Physicorum simplicem et genuinam Physices ideam pure et liquide mente conciperet. Etenim ad medium fere hoc saeculum una quidem Physices pars, quae ad motum corporum pertinet, feliciter exculta erat, reliquae densis adhuc tenebris premebantur. Unde mirari non licet, si in ipsis acutissimorum physicorum libris, etiamnum Physices definitionem logica concinnitate et proprietate verborum explicatam, si partium perfectam enumerationem, earundemque notiones, et terminos legitimos expositos frustra quaeras. Non necessarium videtur, singula hoc loco nostrae aetatis

physicorum nomina excitare; fateor enim, me nusquam omnino de totius disciplinae physicae, eiusque partium notionibus et terminis quidquam reperisse, quod mihi omni ex parte satisfaceret. Dico, quod res est, non ut vituperem viros optime de physicis meritos: non enim nostri aevi physicorum culpa est, si nunc denum discimus quid sit Physica. Scilicet cum hac aetate melior lux non modo reliquis Physices partibus, Chemiae in primis, affulserit, verum et immortalis philosophus Regiomontanus ea, quae metaphysica disciplinarum fundamenta appellantur, nova luce illustraverit, videamur jam eo progressi, quo tanquam e loco altiori terminos, et regiones diversas Physices, quasi oculis lustrare et emetiri possimus. Propositum itaque nobis est, ipsam Physices ideam et terminos, itidemque partium omnium quas habet notiones et terminos legitimos, diligentissime hac dissertatione exponere.

S E C T I O I.

D e P h y s i c a g e n e r a l i.

§. 4.

Physica, sensu latissimo, quam latine generalem, germanice Naturkunde appellabimus, est scientia omnem naturae cognitionem (quatenus quidem licet) complectens.

§. 5.

Est autem omnis naturae cognitio duplex, vel historica, vel dogmatica. Hinc duae Physices generalis partes constituendae sunt, quarum alteram Physicam historicam, germanice Naturbeschreibung, alteram dogmaticam, germanice Naturlehre appellabimus. Illa versatur in ipsis naturae phaenomenis, haec in commutationibus eorundem contemplandis. Priorem illam partem vulgo appellant Historiam naturae (Naturgeschichte), quam appellacionem evitavimus, Kantii exemplum secuti, qui in libello, qui totus egregius est, Metaphysische Anfangsgründe der Naturwissenschaft,

praef. pag. IV., recte inter Physicam historicam,
et Historiam ipsius naturae distinguendum censet.
Qualis autem nobis haec ipsius naturae historia esse
videatur, ad finem huius dissertationis explicabimus.

S E C T I O I I.

De Physica historica in genere.

§. 6.

Physica historica (Naturbeschreibung), est disciplina, quae versatur in contemplatione eius, quod in ipsis sensuum phaenomenis constans semperque sibi simile est. — Quid enim aliud v. c. Botanicus quaerit, quum plantam aliquam artificiose describit, quam ut colligat ea, quae in hoc genere constantia, semperque sibi similia sint, iis omnibus, quae in eodem genere variam induant formam, vel omissis, vel hactenus tantum commemoratis, ne constantia habeantur.

§. 7.

Quae disciplina cum latissime pateat, nec arcieribus quam ipsa natura terminis circumscribat, in partes dividenda est. Quem in finem ipsarum rerum, quae sensibus percipiuntur, classes quaedam constituendae sunt; quae pendent ex divisione logica hac:

Res omnes, quae sensibus percipiuntur, sunt

1) vel non organicae

2) vel organicae: hae vero rursus sunt

a) vel non viventes

b) vel viventes: quae denuo dividi pos-
sunt

a) in carentes ratione

b) et praeditas eadem.

§. 8.

Tres sunt notiones, quibus hae divisiones ni-
tuntur: **organismus**, **vita**, **ratio**; de quibus
sigillatim dicendum est. Vocabulo **Organismus**
usus sum, pro vulgari **Organisatio**, non modone
graeca vox latine terminaretur, sed etiam aliam
ob causam, quae ad finem § i explicabitur. Est
autem **Organismi** notio empirica, quae ideo
veram et strictam definitionem non habet,
qualis extra Matheos fines exhiberi nusquam
omnino potest. Est autem haec notio maximi
momenti per universam disciplinam physicam,
recentioresque hac ipsa re non parum profecisse
judicandi sunt, quod hanc notionem in lucem
protulerint. Nec tamen equidem dixerim, vete-
res physicos discrimen inter res organicas et non
organicas, non vidisse: sed ingens discrimen est
inter notionem obscurae apperceptionis tenebris
involutam, et eam, quae in lucem rationis pro-
ducta maxime distincte animo obversetur.

Sunt autem tria in primis, in quibus organismus corporis alicujus spectatur: ortus, ratio subsistendi, obitus. Nempe oritur corpus organicum, non nisi ex corpore sui simili generatione. Subsistit sive alitur alimentorum, ut ajunt, intus susceptione, quae quidem talis est, ut corpora organica non modo forma, sed etiam materie a non organicis maxime differant. Quod enim ad formam attinet, in quovis genere organicorum peculiaris quaedam figura, magnitudo et structura maxime artificiosa cernitur. Materiei vero, e quibus organica constant, ea est ratio, ut alimenta intus recepta mutationem quandam et assimilationem, ut ajunt, subeant, qua quidem efficitur, ut non ipsa modo organicorum materies, sed propiora etiam illius elementa (die nähern Bestandtheile), ab iis tote coelo differant, quae in corporibus non organicis reperiuntur. Obit denique corpus organicum, et destruitur putrefactione, quae per se non organicum, sed chemicum phænomenon est, nec tamen in ullo alio nisi organico corpore locum habet, quia materies illae, quae putrefactione destruuntur, in nullo alio nisi organico corpore inveniuntur.

Video equidem, plurimos physicos Organisationem non nisi in artificiosa illa partium structura, quae in omnibus corporibus organicis cernitur, ponere. Sed structura illa nihil est nisi unum e multis organicae naturae phænomenis. Cur igit-

tur unum tantummodo ejusdem vis phaenomenon, et cur ex omnibus hoc tantummodo amplectamur? an vero generatio, an intususceptio alimentorum, non aequae sunt organicae naturae phaenomena? Probe scio illam esse etymologiam vocabuli significationem, sed in vocabulis disciplinarum technicis rerum magis, quam etymologiae rationem habendam esse, quis non videt?

Ne tamen in vocabulo aliquid ambiguitatis haereret, voce Organismus usus sum hac quidem significatione, ut omnia organicae naturae phaenomena complecteretur.

Überiorem phaenomenon organicorum enumerationem, et descriptionem si quis quaerat, adeat libros physicorum recentiorum, quorum suis magna est copia v. c. Klügel's Encyklopädie, Berlin 1792, Th. I. p. 3, sqq. Blumenbach's Handbuch der Naturgeschichte, Göttingen 1791, p. 1. sqq. Gehler's phys. Wörterbuch, Leipzig 1787, Th. III. p. 588. sqq. Th. V. p. 666 sqq. et passim aliis in locis, quae licet in indice videas. Adde: v. Humboldt's Aphorismen aus der chem. Physiologie der Pflanzen, Leipzig 1794; qui libellus fere totus in hujus generis phaenomenis explicandis versatur. Erxleben's Naturgeschichte, 4te Ausgabe von Gmelin, Göttingen 1791, §. 7. sqq. Widenow's Grundriss der Kräuterkunde,

Berlin 1792 §. 3. Funk's Naturgeschichte und Technologie, Braunschweig 1794 p. 7. sqq. etc.

§. 9.

Etiam vitae notio est empirica, ideoque non definienda, sed describenda; sed est tamen simplicior et minus implicata quam organismi notio. Vivere autem proprio sensu dicitur corpus quod sentit, quodque arbitrarii motus particeps est. Sensu corpus vita praeditum a rebus externis afficitur, motu arbitrario ipsum res externas afficit, unde manifestum est, haec duo phænomena inter se conjuncta esse, et necessario quodam vinculo cohaerere. Sunt autem illae affectiones in corpore vivente longe aliae, quam in corporibus vel non organicis, vel in organicis non viventibus. Etenim si vivens corpus affiliatur, continuo oritur quaedam quantumvis obscura repræsentatio, et tum demum affectio illa sensus vel sensatio appellatur. Itidem si corpus vivens res externas afficit, id non fit, ut in non organicis, communicatione motus, sed ipsum corpus vivens vi interna, et sola repræsentatione motum ciet, nulla ratione per vires et leges mechanicas explicandum. Perispicum autem est, hoc quidem sensu vitam non nisi animalibus tribui posse. Videlicet itaque etiam de hac notione certamen mihi fore cum plurimis iisque celeberrimis et acutissimis physicis, qui vitam etiam plantis tribuant.

Ab his ut discedam, non levibus, ut mihi quidem videntur, argumentis adducor. Fateor primum, si vita et ad plantas referatur, me nullo modo certam et plane determinatam vitae notionem, nec usquam reperisse, nec ipsum animo concipere posse. Quid enim vitam plantarum dixeris? num irritabilitatem fibrarum? Sed primum non video, qua ratione ipsius irritabilitatis adaequata, planeque determinata notio concipi possit, si eadem et plantis tribuatur. Qui enim accuratissime illam vim exponunt, non nisi in musculorum fibris eam dicunt residere. Quid igitur? num et plantis musculos tribues? an fibras musculosas sine muscularis? Deinde omnes, quod quidem sciam, physiologi consentiunt, irritabilitatem etiam aliquamdiu post mortem remanere. Quod si est, qua ratione ipsam irritabilitatem appellare possis vitam? Tandem his omnibus omis- sis, verum quidem est, in nonnullis plantis aliquam irritabilitatis similitudinem reperi; sed eam in omnibus esse, probabili potius ratiocinio divinare, quam experientia demonstrare licet. — An sensibilitatem vitam appellare mavis? sed qualem istam sensibilitatem? eandem, quae est in animalibus, quae consistit in animi quadam affectione, e nervorum affectione oriunda? sed qua ratione nos docebis, non modo animos esse in plantis, sed etiam qualis sit ille sensus, illa repraesentatio in plantis? Nonne vides, te hacra-

tione vitae explicationem ad notiones maxime obscuras revocare? — An vero ipsam Organisationem vitam appellabis? Video enim inter physicos celeberrimos esse, qui organisata et viventia prolus eadem esse velint? Sed cur quaequo eandem rem duobus appellabis vocabulis, praesertim talibus, quae communis non vulgi, sed eruditorum usus loquendi certe inter se distinguit? Nonne praestat diversis vocabulis diversa significare, praesertim in tanta penuria verborum, quibus notiones abstractiores reddere possimus? Praeterea cum vitae notio obscurissima fiat, si eam ad plantas traducas, nonne vides, etiam ipsius organisationis notionem maxime obscurari, si has voces synonymas facias?

Nempe est quaedam in toto hoc genere quaestionum fallacia, qua vel acutissimi homines interdum decipientur, dum originem et naturam illarum notionum non satis accurate considerant. Unde enim nobis sunt notiones vitae et organisimi? Num credis sensibus externis nos eas debere? an rationi potius et sensui interno? Quae enim his vocibus significantur, non sunt phaenomena quaedam externa corporum, sed vires internae. Vires autem, ut satis constat, nec oculis adspici, nec manu tangi, nec ullo percipi sensu, sed sola ratione et intellectu conceptus earum excitari animo possunt. Quae oculis cernis, effectus sunt earum virium, non ipsae vires, quarum profecto

nullam haberes notionem, nisi eas sensu interno et ratione in te met ipso deprehenderes. Hinc cum in alio corpore eadem phaenomena deprehendis, quae in te met ipso sensu externo et interno intueris, tum ea iisdem viribus internis praedita esse, non sentis, sed ratiocinaris. Sed cum in toto mundo sensibili nihil sit praeter motum, materiaeque mutationem, quod sensibus perripi queat, haecque ipsa phaenomena singula quidem etiam mechanicis (motus), et chemicis viribus (mutatione materiae), possint excitari, necessaria quaedam et inevitabilis ambiguitus oritur, si quaestio incidit, cui virium generi unum aliquod phaenomenon per se spectatum (isolirt), debeatur. Nullum enim in tota natura organica est phaenomenon, cuius non ars similitudinem quandam proferre possit. Nec dijudicari res ullo modo potest, nisi omnia ejusdem corporis phaenomena conjuncta, nisi ortum, rationem subsistendi, obitum, nisi agendi rationem, quoque modo ipsum ab aliis afficiatur, alia ipsum afficiant, diligenter intuearis. Collectis his omnibus, satis declarabitur, (non sensu, sed ratiocinio), utrum sit corpus e classe organicorum, nec ne, e classe viventium, nec ne. Si vero externum aliquod criterium quaeras quo corpus aliquod non organicum a planta, plantam ab animali, animal ab homine, possis sine ulla ambiguitate ipsis sensibus discernere, frustra laborabis.

Nec tamen hoc ita dictum velim, quasi vituperem conatus eorum, qui accurate et diligenter etiam externa non organicorum et organicorum, non viventium, et viventium criteria colligunt. Laudandi sunt potius ob id, beneque de physicis merentur, modo ne credant, posse quidquam externum hujusmodi reperiri, quod omni ambiguitate careat.

Caeterum qui uberiorem illorum phaenomenorum, in quibus vita cernitur, explicationem desideret, physiologorum libros consulat. E quo genere sunt in primis: Halleri Elementa et reliqua scripta physiologica: adde Unzeri Physiogiam (Erste Gründe der Physiol. von Unzer. Lpz. 1777), qui liber quamvis multa spinosa nimisque subtilia, certe tamen et plurima acutissime cogitata habet, in primis licet animadvertis, acutissimi ingenii hominem discriminem inter vires organicas et non organicas, longeque alias utriusque generis leges esse, distinctissime perspexisse. E recentioribus in primis commemorandus est Blumenbachius, facile inter nostrae aetatis physiologos princeps, Blumenbachii institutiones physiologicae. Gött. 1787, et reliqua ejusdem viri scripta physiologica. Adde W. Snellie's Philosophie der Naturgeschichte überl. von Zimmermann. Berlin 1791. v. Humboldt über die gereizte Muskelfaser. Berlin 1797. Praeterea Sömmeringii, Hufelandii, Metzgeri, Spalanzanii, Galvanii, alio-

rumque physicorum celeberrimorum scripta physiologica. In quo genere, si forte quaedam majoris momenti nomina omiserim, spero aequum lectorem id excusaturum in homine, cui non nisi subcesivas horas Physiologiae impendere contigerit.

§. 10.

Ratio quid esset, jam exponere debebam: sed liceat mihi philosophis eam quaestionem erendum relinquere, non lubet enim heroum certaminibus me immiscere. Ne tamen hoc loco lacuna in nostris esse videatur, dicam equidem, quid mihi post immortalis Kantii aliqua scripta, in primis rationis purae Criticam, non sine studio, nec sine profundissimi ingenii summa admiratione, lectam, ratio esse videatur: ita tamen, ut si quis litem inde mihi excitare voluerit, jam nunc manus victas porrigam.

Cum reliqua animantia non nisi impulsu externo et sensu, aut consuetudine ad agendum impelli videantur, in nobis met ipsis deprehendimus aliquam vim, qua vel contra impulsus externos, contra sensuum incitamenta, contra diutinam consuetudinem leges nobis et agendi normam praescribere possimus, quae quidem vis talis est, ut, quamvis corpus nostrum, quia reliquis naturae viribus obnoxium est, vi externa cogi et coerceriqueat, animus tamem, si modo velit, in-

victus maneat, nullaque vi possit laedi. Haec mihi vis divina rationis vocabulo significari videtur.

Qui rem subtilius quaerunt, vel quibus haec nostra displicant, adeant ipsa Philosophorum in primis Kantii et Reinholdii scripta.

S E C T I O I I I .

De Physices historicae partibus singulis.

§. II.

Jam his omnibus plenius expositis, Physices historicae partes partiumque definitiones breviter subjiciamus.

E divisione rerum naturalium §. 7. exposta, quatuor Physices historicae partes oriuntur.

- 1) Mineralogia, quae complectitur corpora non organica, nobis cognita.
- 2) Botanica, germ. Gewächskunde, corpora organica non viventia.
- 3) Zoologia, germ. Thierkunde, corpora organica, viventia, ratione carentia.
- 4) Anthropologia, hominem, unum illudens organicum, vivens, ratione praeditum, quod quidem novimus.

Sed de his quatuor partibus, jam seorsim dicendum est.

Mine-

Mineralogia.

§. 12.

Mineralogia est disciplina, quae versatur in describendis iis, quae in rebus naturalibus non organicis constantia, semperque sui similia deprehenduntur. Facile apparent hanc nostram definitionem paullo latius patere, quam eas, quas libri mineralogici exhibent. Spero tamen, fore, ut Physici hanc definitionem latiorem probent, sine qua necessario aliqua lacuna in Physica historica manet, nulla alia ratione explenda. Non organica enim, quae ipsa natura sponte nobis praebet, non modo solida sunt, ut minerae et fossilia pleraque, sed etiam fluida multa aeriformesque materiae sponte nascuntur, nec minus merentur historice describi, quam illa. Etenim me jam non de chemica eorum analysi loqui, satis manifestum est. Caeterum quod ad Latinum Mineralogiae vocabulum attinet, perspicuum est, illud definito multo angustius esse, id quod in plerisque disciplinarum appellationibus et terminis technicis accidere solet, de qua re conferenda sunt, quae supra §. 1. diximus. Germanice Mineralogiae vocabulum vertere non sum ausus, unum enim, quod succurrebat vocabulum *Steinkunde* eodem, quo latinum, vitio laborat. Male autem illum arbitror consulere rei literariae, qui pro vitiosis removendis, aequo vitiosa in lucem profert. Toleremus ergo etiam germanice scribentes vocabulum *Mine-*

ralogiae, donec ulterior linguae cultura melius quid reperiat.

B o t a n i c a .

§. 13.

Res organicas vita carentes plantas appella-mus. Est itaque Botanica disciplina, quae versatur in describendis iis, quae in plantis constantia, semperque sui similia deprehenduntur. Nihil habeo, quod huic definitioni, quam non facile quisquam in controversiam vocabit, addam. Germanice hanc partem Physicae historicae potius Gewächskunde, quam Kräuterkunde dixerim. Latius enim patet vocabuli **Gewächs** significatio, quam Kraut sive Kräuter; quod tamen pace acutissimi diligentissimique nostrae aetatis botanici, Wildenowii, dixerim, qui librum suum inter paucos praeclarum inscripsit: **Grundriss der Kräuter-kunde.**

Z o o l o g i a .

§. 14.

Res organicae, vita quidem praeditae, sed ratione carentes, animalia dicuntur. Hinc Zoologia est disciplina, quae versatur in describendis iis, quae in animalibus constantia, siue semper similia deprehenduntur. Germanicum vocabulum Thierkunde nulla ratione vituperandum videtur.

Anthropologia,

§. 15.

Nescio cur acutissimi physici laborent hominem animalium seriei intexere. Quid enim si nihil excelsius, imo vero divinius in omni rerum natura novimus mente ac ratione, majus quodam et sublimius discriminem est inter hominem et feram, quantumvis corpore affines sint, quam inter feram et plantam. Praeterea cum numerus animalium tam immensus sit, necesse est, tantus fratrum spuriorum numerus spatium coarctet et contrahat, ut vix locus superfit quidquam mentione dignum de homine dicendi. Sed quid dignius est hominis diligentissima contemplatione, uberiorique explicatione, quam ipse homo. Recente igitur nonnulli physici hominem a grege bestiarum segregandum, ejusque historiam naturalem sub nomine *Anthropologiae* separatim tradendam censuerunt. Partem hujus Anthropologiae esse anatomicam corporis humani descriptionem, facile appareat. Anthropologia ad analogiam vocabulorum Gewächskunde, Thierkunde, vertenda esset Menschkunde (non Menschenkunde); sed illa vox tam dure sonat, ut vix usu frequendi eam molliri posse credam,

§. 16.

Perlustratis Physicae historicae partibus, iubet pauca generalia addere. Cum hae partes Phy-

sicae in enumerandis describendisque rebus naturalibus versarentur, opus erat serie vocabulorum, quibus idonea classificatio posset fieri. Dividunt itaque physici res naturales omnes

in regna, haec

in classes, has

in ordines, hos

in genera, haec

in species, has

in varietates;

interdum, si opus sit, etiam familias inter ordinem et generam interjiciunt. Hac omnia bene, nec quidquam ambiguitatis habent. Sed maxime molestum est, in usu germanicarum vocum, Geschlecht, Gattung, Art, confusionem quandam ita invaluisse, ut vix tolli posse videatur. Spero tamen, fore, ut hac in re paulatim consensus redeat, si physicis libuerit, primas, proprias, etymologicas horum vocabulorum significationes attentius perpendere. Vox Gattung cum descendat a gatten vel begatten, in Mineralogicis omnino admittenda non fuit, quippe ubi nulla connubia celebrentur: in Botanicis autem et Zoologia non recte videtur pro genere dici, cum genera plantarum et animalium mutuam inter se fructificationem vel coitum non habeant. Vocabuli Geschlecht significatio propria multo latius patet. Descendere enim videtur a schlagen, eo sensu, quo dicimus, eine Sache schlage dahin,

ein Schlag von Menschen, ein guter Schlag, ein schlechter Schlag etc. Quae etymologia si vera est, vox Geschlecht non modo in Zoologia, et Botanica, sed etiam in Mineralogia recte retineri pro genere potest. Sed qua ratione sexus significandus est, si pro genere dicendum sit Geschlecht? Sine dubio nulla germanica vox est, quae per etymologiam melius sexum referat, quam Gattung, quamvis vulgo das männliche, das weibliche Geschlecht dicere soleamus, nec id quidem falso, cum semper liceat latiores conceptus pro angustioribus substantiue, non vice versa. Sed si in re literaria opus sit, subtilius notiones evolvere diligentiusque voces eligere, cur anxii vulgarem loquendi usum servabimus? Crediderim itaque, rectissime germanicas voces ita cum latinis posse comparari, ut

Reich dicatur pro regno

Klasse — — classi.

Ordnung — — ordine,

Geschlecht — — genere.

Art — — specie.

Spielart — — varietate.

Gattung — — sexu.

Sed haec omnia salvis melioribus.

S E C T I O I V.

De Physica dogmatica in genere.

§. 17.

Accedimus jam ad alteram partem, quae versatur in cognoscendis iis, quae in ipsorum phaenomenorum commutationibus constantia semperque sui similia sunt, ad Physicam dogmaticam, quam germanice die Naturlehre diximus. Sed quaerat fortasse quispiam, quid in ipsis phaenomenorum commutationibus persistens, et sui semper simile reperiiri possit? Nihil respondebo praeter legem, quam cujusvis generis permutationes sequantur. Ideoque Physica dogmatica eiiam ita poterit definiri, ut sit disciplina, quae versetur in legibus naturae cognoscendis.

§. 18.

Est autem lex quaedam humani intellectus, si quid fiat, vim quandam mente concipere, per quam illud fiat. Hinc facile intelligitur, unde nobis oriatur conceptus virium naturae. Atque si intelligentiam nostram excutiamus, diversasque virium naturae notiones, quae in illa reperiantur, eruamus, ipsis Physicae dogmaticae partes earumque definitiones, terminosque non ambiguos inveniemus.

§. 19.

Quatuor autem omnino sunt virium genera, quae quidem novimus: quippe vires naturae sunt vel mechanicae, vel chemicae, vel organicae, vel psychicae (geistige Kräfte), quae iam singulae seorsim considerandae sunt.

Fateor, hanc virium omnium divisionem non systematice, ex principiis, sed tamen methodice ex diligentiori omnium partium Physicae dogmaticae perlustratione collectam esse, ita ut persuasum mihi habeam, nullum divisionis membrum nec deesse, nec superflui quidquam habere, ipsamque divisionem vituperandam non esse, sed id unum mihi non contigisse, ut notiones eas, quibus tanquam fundamento divisionis nitatur, ad liquidum perducerem. Poteram equidem, si libuisset, proferre divisionem virium, quae logicum acumen si non haberet, at certe prae se ferret. Etenim dicere poteram, esse alias vires organicae, alias non organicae naturae proprias. Quae non organicae naturae propriae sint, eas vel externam rerum speciem vel internam earum naturam commutare: illas mechanicas, has chemicas esse vires: Quae vero in mundo organico fiant, ea, vel sensu externo, vel interno tantummodo percipi posse: illa organicis, haec psychicis viribus fieri. Nec dubitaverim, quin prior divisionis pars etiam nunc defendi possit. Quod vero ad posteriorem divisionis partem atti-

net, ea logicum acumen mentitur. Vidimus enim supra §. 9 in ipsis organicis phaenomenis esse quaedam, quorum cognitionem, non externo sensui, sed interno debeamus. Non licet laudare, nec lubet imitari quosdam, qui cum haereant aliqua in re, velamenta conquirant, et sophismata pro veritate proferant. Hoc enim debetur veritati, ut si assequi eam non possis, saltem ab ea abesse te scias, nec id fateri dubites, ne alii te auctore in errores inducantur, sed acutioribus potius ingenii occasio veritatem penitus investigandi preebeat.

Vires mechanicae.

§. 20.

Mechanicas appello vires, quae nihil nisi motum, aut aequilibrium efficiant. E quo genere est impulsus, quo corpus agit in corpus, gravitatio, vis magnetica, attractio, qua fluida nonnullis adhaerent solidis, vel corporum partes inter se cohaerent, et similia. Nihil amplius addendum tensio, cum res nihil difficultatis habeat.

Vires chemicae.

§. 21.

Ubeiori egent explicatione vires chemicae, quippe quas fere nostra demum aetas a mechanicis viribus prorsus distinguere didicerit. Appello autem vires chemicas, quae ipsius mate-

riei aliquam mutationem (Veränderung des Stoffs) efficiant, ut si aqua frigore in glaciem, vel si sulphur et mercurius oxydatus vi caloris coacti in cinnabarim transeant.

Chemicae vires ipsis materiis, e quibus corpora mixta et composita sunt, insident, nec est ulla corporum materia, quae non viribus quibusdam chemicis praedita sit. Est autem ratio illarum talis, ut nulla unquam materia per se, et segregata ab aliis, sed tantummodo cum quibusdam aliis combinata et commissa, vires chemicas prodat. Quod si aliquam materiam, v. c. oleum aliquod pingue consideraveris, illudque cum reliquis materiis singulis conjunxeris et commiscueris, diversissima licebit videoas phaenomena. Etenim si cum certis quibusdam materiis v. c. cum aqua mechanice quantumvis commiscueris, nulla tamen alterius commutatio existet, imo vero sponte discedent, et segregabuntur. Ergo nullum inter eas chemicum commercium intercedit. Si vero oleum confuderis cum caustico alcali, magna utriusque fiet commutatio. Coalescent enim, novamque constituent materiem, quam appellamus saponem, qui longe alias habet virtutes chemicas, quam illae ipsae materiae, e quibus commixtus est. Estque haec nova materia plane homogenea, nec in minimis ejus particulis olei quidquam, et talis alcalici deprehendi potest; non enim minimae utriusque atomi mechanice, sed dynamicè

coaluisse censendae sunt, ita tamen, ut earum commixtio aliis viribus chemicis dirimi queat. Si enim acidum aliquod affuderis, alcali saponem deserit, et cum acido sal aliquod ut dicunt, neutrum constituit; oleum segregatur, (quamvis de causis h. l. non explicandis, paulo immutatum).

§. 22.

Facile ex hoc uno exemplo, quae sit natura et indoles virium chemicarum, aestimari potest.

Potest autem quamvis innumera phaenomenon chemicorum multitudo ad duo genera revocari. Vel enim chemicis viribus materia quae-
piam hactenus tantummodo mutatur, ut alium cohaesionis seu aggregationis statum induat, reli-
quis materiae virtutibus chemicis non deletis; vel aliqua materia tota commutatur, ut prorsus aliis,
quam antea, viribus chemicis jam praedita appareat.

Status aggregationis corporum quadruplex est.
Sunt enim quaedam solida, alia fluida, alia aëriformia. Haec omnia sunt ponderabilia.
Sunt vero et quarti generis materiae, quas, quia coerceri intra aliquod spatiū nequeant, bene nonnulli recentiorum physicorum incoercibili-
les dixerunt. Eadem sunt et imponderabiles.

Duplici ratione aggregationis status mutatur.
Primo enim pleraque materiae, ad certos calo-

ris gradus ex alio in aliud statum abeunt. Videaturque adeo haec universalis lex naturae esse, ut quaelibet materia solida sit infra certum frigoris gradum, fluida supra hunc usque ad determinatum caloris gradum, et aëriformis, si calor hunc supereret. In plurimis hoc quidem experientia comprobari potest. Quae autem semper aut solida, aut fluida, aut aëriformia se praebeant, ea probabile est hujus indolis esse, ut gradus caloris, ad quos mutatio status accidere debeat, in nostra non sint potestate. Sed dixerit fortasse quispiam me vaporis et aëris speciem confundere, abire enim plurimas materias calore in vapores, non in statum aëriformem. Sed fateor, me internum aliquod discriminem aggregationis inter statum vaporis et aëris invenire nullo modo posse. Etenim et aquae vapor permanenter elasticus et aëriformis est, dummodo calor 80° Therm. Reaum, supereret. An censes spiritum vini, et aquam fluidam diversum aggregationis statum habere, quod ille ad nullum cognitum frigoris gradum, haec ad 0° Reaum, solida fiat? Est quidem et spurium aliquod genus vaporum, cum solidum quid vel fluidum mechanice dissipatum, vaporis speciem mentiatur, e quo genere sunt nebulae istae albae, quae phosphoro ardente campanam implent. Sed de his sermonem non esse, facile quisque animadvertis.

Praeter calorem, etiam solutione status aggregationis mutatur. Solutio autem dicenda

est, quotiescumque duae diversae materiae mixtae homogeneum statum ingrediantur, reliquis virtutibus chemicis non mutatis. Ita salia, aqua soluta, terrae metallicae acidis solutae etc. fluidae sunt. Eademque ratione aqua, aëre soluta, (i.e. insensibili exhalatione), fit aëriformis, ita ut inter aquam exhalatione solutam, et vaporem aquae bullientis idem discriminis sit, quod inter sal aliquod aqua solutam est, et sal per se calore liquefactum. Simili ratione, aquam quae vocatur crystallisationis salinis particulis solutione admixtam esse, dicendum est. Hactenus de prima classe phaenomenon chemicorum.

§. 23.

Alterum genus est, cum duae materies mixtae, (aggregationis statu sive retento, sive mutato), novum quid constituant novis plane virtutibus chemicis praeditum. E quo genere sunt haec, acida et alcalia, salia neutra: oleum et alcalia saponem: metalla et oxygenicum calces metallicas constituere, et innumera alia. Quae cum maxime a solutionibus differant, etiam diverso vocabulo mixtiones dicenda sunt. Possunt autem et mixtionum duo genera constitui. Quaedam enim materies non nisi certa et prae finita quantitatis partium ratione coēunt. Ita, quae dicitur Luna cornea, sive Argentum muriaticum tale est, ut tres ejus quadrantes sint argentum purissimum,

quarta ponderis pars materiam oxygenicam et acidum muriaticum ratione nondum satis determinata contineant. Aliae vero materiae diversis quantitatis rationibus coeunt. E quo genere cum plura proferri possint, tum in primis memoratu dignae sunt materiarum oxygenicae, et azoticae commixtiones. Coeunt enim primo, si confunduntur, mutua solutione, idque quavis quantitatis ratione; ac si una oxygenicae cum tribus fere azoticae partibus solutione coeat, aer atmosphaericus existit. Eadem vero et chemice miscentur naturae quibusdam viribus nondum factis declaratis. Ita quatuor fere partes materiei oxygenicae cum una azoticae mixtae acidum nitricum; tres fere oxygenicae cum una azoticae, acidum nitrosum; duae ferme oxygenicae cum una azoticae, Gas nitrosum; dimidia ferme oxygenicae cum una azoticae mixta, Oxydum azoticum s. Gas nitrosum dephlogisticatum Priestleji constituunt. Quae omnia non modo elementis, e quibus conflata sunt, verum etiam inter se chemicis virtutibus differunt.

§. 24.

Credo naturam atque indolem virium chemicorum, ipsarumque a viribus mechanicis diversitatem maximam, nec ullo modo ambiguam, ex his, quae diximus, satis fore manifestas. Tantum autem est illud discrimen, ut is certe frustra labora-

verit, qui ullum phaenomenon cheimicum voluerit explicare mechanica ratione, quod faciunt ii, qui parvas nescio quantillas particulas corporum cogitant, vario situ, variisque intervallis dispositas, variisque viribus se adtrahentes et repellentes, ut diversitates materiarum earumque commutaciones explicent. Sunt ipsae materiae nil aliud nisi complexus virium, quibus qualis *evoluta*, quae substantia substrata sit plane ignoramus. *Enim vero* hoc ipsum, quod sensus nostros afficiunt, quod tactui resistunt, visui se offerunt, num alia ratione quam *vi* quadam fieri potest? Particulas igitur perexiguas, et intersticioia earum, et figuram, et situm cogitare, sunt latus ingenii, quorum nec veritas ostendi, nec error potest convinci, quaeque disciplinae et scientiae nullam veram certamque utilitatem afferre possunt, ut longe sine dubio praeferrenda sit dynamica illa ratio explicandi, quam immortalis Kantius in libello jam supra laudato et senioris philosophiae pleno, *Metaphysische Anfangsgründe der Naturwissenschaft*, exposuit; dynamica enim haec explicandi ratio, ab omni hypothesi libera, nihil admittit, nisi quod ipsa ratione admittere cogamur.

Vires organicae,

§. 25.

Magnis etiamnum tenebris vires organicae involutae sunt, et gloriemur licet, vel ob

hoc ipsum, quod aliquando didicerimus, has a
chemicis, et mechanicis naturae viribus plane di-
versas esse. Appello autem organicas vires eas, e
quibus phaenomena organica §. §. 8. et 9. explicata
pendent. Peculiare hoc genus virium, totoque
coelo a mechanicis et chemicis viribus diversum,
facile, si animum attenderis, agnosces. Si
enim totam illam seriem phaenomenon, qui-
bus §. §. 8. et 9., organicorum natura declara-
tur, perlustraveris, nihil usquam reperies, quod
mechanicis et chemicis viribus possit proferri. Ut
enim de generatione et nutritione, quae in omni-
bus organicis cernuntur, de sensu et arbitrio, qui-
bus animalia gaudent, taceamus, ne formam qui-
dem organicorum, et materiarum, e quibus con-
stant, speciem, mechanicae et chemicae vires asse-
qui queunt. Etenim tantum abest, ut plantae
structuram viribus mechanicis imiteris, ut vix ex-
terni habitus similitudinem arte possis referre.
Quod vero ad materias attinet, e quibus organica
corpora constant, eae plane diversae sunt ab iis,
quas vires chemicae exhibent. Quid, quod ipsa
elementa simplicia, e quibus natura organicorum
materiam conflat, dum sunt in corpore organico,
viribus et affinitatibus chemicis non obtemperant,
sed alias quasi sublimiores leges sequuntur. Quod
in primis egregie expoluita Humboldt in libello supra
§. 8. laudato, Ligatas dixeris vires chemicas in cor-
pore organico viribus organicis. Quin etiam si qua

vis chemica unquam praevaluerit, aegrotat corpus; sin reprimi nequeat, mors et deinceps destructio ac putrefactio sequitur, quae nihil aliud est, quam spontanea per vires chemicas destructio. Quae qui intellexerit, non mirabitur, Chemicos materialium, quae e regno organico originem habent, elementa quidem noscere, nec tamen ullam earum denuo ex iis componere posse. Sic ligni elementa sunt Hydrogenicum et Carbonicum, paucis terrenis salinisque partibus admixtis; sed nemo Chemicorum unquam aut protulit aut proferet ex his elementis, non dicam arborem, sed ne fibram quidem ligni. Eademque ratio est uniuscujusque materiae viribus organicis generatae. Sic nulla ars imitari potest cruorem, lymphan, salivam, lac, musculos, acida vegetabilia et animalia, vinum, farinam, etc. Hinc perdidisse eos operam manifestum est, qui conati sunt organicae naturae phaenomena mechanice, vel chemice explicare. E quo genere sunt haec atque similia: humorem in plantis ascendere iisdem viribus, quibus aqua in tubis capillaribus; concoctionem in ventriculo animantium fieri vel frictione, vel chemica solutione et affinitate etc.

§. 26.

Difficile sane est virium organicarum genera enumerare, notionesque earum firmas et distinctas

con-

constituere. Si ad celeberrimorum Physiologorum libros recurras, complures quidem organicas vires explicatas invenies, sed eas tamen tales, ut facile appareat, eas non nisi ex fortuita phaenomenorum contemplatione collectas esse, nec posse ad subtiliorem et logicam divisionem revocari. Nec ego id mihi arrogo, ut me, tironeum in hoc scientiae genere, credam istum nodum solvere posse. Dicam tamen quod sentio, remque dijudicandam acutioribus ingeniiis ea, qua decet, modestia relinquam.

Primo igitur omnia phaenomena organicae naturae mihi quidem videntur ad duo genera redire. Primae classi ad numero ea phaenomena, quae, quamvis eorum causa (ut et in ipsis chemicis ac mechanicis) lateat, ipsa tamen plane sensu externo percipi possint. E quo genere sunt omnia, quae ad formam et structuram organicorum, vel ad certain materiae, e qua constant, indolem pertinent. Vires autem eas, e quibus hoc genus phaenomenon totum pendet, formativas appellaverim; quam appellationem plane credo congruere cum nisu formativo Blumenbachii, si sensu latissimo dicatur (cf. ejus Physiologia. Gott. 1787. §. 48.). Est vero et aliud genus phaenomenon organicorum, quae quidem talia sunt, ut, quamquam et ipsa sensu externo percipientur, tamen habeant aliquid, quod non nisi interno sensu cognosci queat. E quo genere sunt vitae

phaenomena, supra §. 9. exposita. Quippe, si manum moveris, oculis quidem ipsum motum cernis, sed motum hunc non impulsu corporis aut alia vi mechanica, sed voluntate cieri, id non nisi sensu interno cognoscis. Itidem si quid manum tuam tetigerit, id ipsum quidem cernis, sed sensationem inde oriri ipsiusque animi quandam affectionem, non nisi sensu interno agnoscis. Vires igitur omnes, e quibus huius generis phaenomena pendent, vitales appellaverim. Quam appellationem ex ipsa re fluentem faltem non repugnare arbitror iis, quae acutissimi Physiologi de vita viribusque vitalibus disputant. Cum autem ex §. 9. vitae phaenomena ad duas species referri debeant, alteram, cum corpus vivens vi voluntatis, muscularum fibris pro instrumento utens, motum ciet, eoque in res externas agit, alteram, cum res externae in nervis motum eoque sensationem in corpore vivente excitant: etiam virium vitalium duas species constitutas esse censeo. Scilicet prima species virium vitalium est ea vis, qua motus voluntarius in muscularis excitatur, quam ideo vim motricem dixerim; cum qua ea, quae dicitur, muscularum irritabilitas non quidem congruit, sed est fortasse ejusdem species, vel certe phaenomenon externum. (Quippe cum fibrae muscularum, quas natura non nisi voluntati parere voluit, alia qua vi externa afficiuntur, oriri mihi

videtur per organicam earum structuram, illa ipsa vi
matrice, tremulus quidam motus praeternalis,
qui est irritabilitatis phaenomenon). Altera virium
vitalium species est ea, qua ipsum corpus vivens a
rebus externis afficitur. Haec in nervorum fibris
insidet, vel certe iis pro instrumento utitur, et est
eadem, quam Physiologi sensibilitatem vel
vim sentiendi appellant.

Videant acutiores peritioresque Physiologi,
quid in his nostris verum, quid falsum sit.

Vires psychicae.

§. 27.

Tandem, quod ad quartum genus virium,
quas psychicas supra appellavimus, attinet,
hoc nomine significatas velim vires internas om-
nes, quas uno vocabulo *mentem* seu *animum*
appellamus, e quo genere sunt vis repraesentandi,
reminiscendi, judicandi etc. Liceat mihi hoc ge-
nus virium breviter tantummodo attingere.
Quantumvis enim differant inter se vires organi-
cae (pro ea quidem, quam mente mihi concipio,
notione earum), et psychicae, multo tamen fa-
cilius mihi videtur, intelligere illud discrimen,
quam verbis reddere, accurateque definire, et inge-
nue fateor nondum contigisse mihi, notiones om-
nes, quibus illud discrimen ut fundamento nititur,
penitus evolvere, atque in lucem maxime distinc-

tam proferre. Sed quis non sentiat, prorsus
 aliud quid esse, re praesentationem rei visui
 obiectae, quam animo concipimus, et motum,
 qui lumine in organica nervorum structura exci-
 tatur? longe aliud quid, reminisci, et motum
 aliquem interceptum restituere? et quae hujus
 generis plura sunt. Mirari itaque satis non possum,
 inter physicos et philosophos extitisse quosdam,
 eosque magni nominis acutissimique ingenii vi-
 ros, qui discrimen illud non animadverterent,
 viriumque animi phaenomena, non dicam organi-
 cise, sed mechanice adeo et chemice explicari pos-
 se arbitrarentur, motibus quibusdam cerebri et
 nervorum, vel tanquam chemicis quibusdam hu-
 morum, qui in cerebro et nervis sunt, affectioni-
 bus. Etenim si quis nobis demonstraret, idque
 maxime ad liquidum perduceret, (quod fieri certe
 nequit), unicuique animi re praesentationi re-
 spondere aliquem motum vel aliam cerebri affec-
 tionem sensibus percipiendam; num ideo melius
 sciremus, quid esset ipsa re praesentatio? Sane nos
 docuerit (quod magni aestimandum foret), unam-
 quamque re praesentationem vel antecedere, vel
 comitari, vel sequi motum quendam in cerebro:
 sed motus ille ipse quid commune habet cum re-
 praesentatione? annon manifestum est, etiam
 sublimiorem aliquam vim advocandam esse,
 quae motum illum vel excitet, vel ipsa eo afficia-
 tur? Atque si frustra laborarint illi, qui vel plan-

tae organicam structuram ad vires mechanicas referre voluerunt, quanto magis operam perdent, qui intelligendi phaenomena viribus, vel chemicis, vel etiam meritis organicis explicare contentur.

S E C T I O V.

De Physices dogmaticae partibus.

§. 28.

Jam vero his virium naturae generibus expostis, facile Physices dogmaticae partes enumerare definitionesque earum constituere poterimus.

Physicae igitur dogmaticae primum duae sunt partes, quarum alteram Physicam theoreticam, (theoretische Naturlehre), alteram Physicam applicatam (angewandte Naturlehre) appellamus. Illa versatur in constituenda theoria legum naturae, haec in ipsis naturae phaenomenis explicandis. Has partes, quae plerumque conjunguntur, divisimus; idque non utile modo, verum et necessarium esse, ex sequentibus apparabit.

S E C T I O V I .

De Physices dogmaticae parte priori seu de Physica theoretica.

§. 29.

Theoreticae physicae quatuor sunt partes.

- 1) *Physica mechanicorum*, (die mechanische Naturlehre), quae vulgo *Physica naturae et zoey* (nimis arroganter) appellari solet.
- 2) *Physica chemicorum* (die chemische Naturlehre), quae vulgo *Chemia sive Chymia* appellatur.
- 3) *Physica organicorum* (die organische Naturlehre), quam vulgo *Physiologiam (vocabulo re ipsa latiori)* appellant.
- 4) *Physica psychicorum* (die psychische Naturlehre), quam vulgo *Psychologiam empiricam* appellant.

De singulis partibus seorsim dicendum est.

De physica mechanicorum.

§. 30.

Physica mechanicorum naturae phænomenorum est disciplina, quae versatur in constituenta theoria legum naturae mechanicarum.

Naturae quid sint leges mechanicae, satis perspicuum erit ex iis, quae de viribus mecha-

niciis §. 20. diximus. Sunt igitur nihil aliud nisi leges motus et aequilibrii, constatque haec physices pars non nisi quatuor capitibus, pro quadruplici corporum aggregationis statu (§. 22). Specto autem, fore, ut lectores non sine aliqua delectatione animadvertant, ordinem disputationum, qui hoc loco ex ipsis primis physicorum notionibus eruitur, eundem esse, quem praestantissimi Physici in libris suis sequuntur. Quippe praemissa introductione, qua communes corporum affectio-
numque, quas patiuntur, notiones explicitentur, agendum est 1) de motu et aequilibrio solidorum, (quae una theoria totius Physices post Newtonum perfectissime constituta est;) 2) de motu et aequilibrio fluidorum non elasticorum seu aquaeformium, (ad quam theoriam constitutandam nostra demum aetas veram videtur viam invenisse, cum inter Gallos Buatus, inter nostros in primis Langsdorfius non hypothesisibus, sed experimentis stabilientes theoriae fundamenta jecerint). 3) Multo difficilior multoque inde imperfectior adhuc est theoria motus et aequilibrii fluidorum elasticorum s. aëriformium, ad quam obtinendam et confirmandam itidem experientiae, non hypothesis via ingredienda est. 4) Leges motus et aequilibrii incoercibilium materiarum longe alias esse, quam in reliquis corporibus, perspicuum est, cum pondere vel omni, vel sensibili destitutae sint, omniaque reliqua corpora transeant; unde

fit, ut impulsu moveri, reactioneque sibi nequeant. Peculiares igitur his materiebus leges motus constituendae sunt. Sed, quaenunc quidem cognitio earum est, non sunt leges omnibus hujus generis materiebus communes, sed adstricta est unaquaque peculiari bus. Mirum est autem, luminis, rei omnium, quas novimus, subtilissimae, theoriam adeo perfectam esse, ut nulla fere totius Physices pars magis. Cui stabilienda Newtoni summum ingenium fundamentum jecit, Eulerus acutissimus calculator altius eam eduxit, Klügelius subtilissimus Geometra fastigium imponet. Etiam theoriae caloris pars mechanica, quamvis non absoluta, egregie tamen inchoata est, Thermometris accuratioribus et nuper etiam praestantissimo Pyrometro Wedgewoodiano inventis. Haeremus adhuc in theoria vis magneticae. Etiam in electricorum phaenomenorum explicatione multum nostra aetas profecit, attamen et mechanica et chemica theoriae pars multis ex partibus imperfecta est.

Hactenus Physica mechanicorum. Quae enim praeter haec plerumque adduntur, partim ad physicam chemicorum, (ut diversa aëris genera, doctrina de acidis et alcalibus etc.), partim ad Physicam applicatam (ut quae in libris physicis de mundi systemate, de terra, de atmosphaera, de meteoris etc. disputantur) pertinent.

De Physica chemicorum.

§. 51.

Physica chemicorum naturae phænomenorum sequitur, h. e. disciplina, quae versatur in theoria legum naturae chemicarum constituenda.

Naturae quid sint leges chemicae, satis perspicuum est ex iis, quae §. 21 — 24. de viribus chemicis diximus; scilicet leges, quibus vel status aggregationis, vel ipsa materies corporum mutatur.

Bis nostra aetas vidit laetam illud spectaculum, quod ante hos centum annos Newtonus exhibuerat, ut videremus aliquod divinum ingenium mentem humanam in aliquo disciplinarum genere errantem vel potius vagantem ad veram naturae viam revocare. Unum, cum Kantius immortalis philosophiam non (ut quidam rentur, ipse vero nusquam sibi arrogavit) perfecerit, sed unam et veram naturae viam ei aperuerit. Alterum, cum immortalis Lavoiserius idem fecerit in Physica chemica, quem indignissima caede manibus hominum rationem mentionium pereintum esse, quis humani sensus lanaeque rationis homo non intimo pectore doleat? — Illuxit igitur tandem et huic Physics parti tempus, quo per omnes fere Europæ terras acutissimi diligentissimique viri, summo studio laetissimoque successu laborent disciplinam constituere et

amplificare. Unde sit, ut haec disciplina non modo cultoribus suis incredibilem quandam et delectationem et utilitatem afferat, sed etiam artibus fere omnibus et vitae uberrimos fructus jam nunc ferat, et multo ubiores in posterum pollicetur. Mirum est enim, quantos ex hoc tempore in totius naturae cognitione progressus fecerimus, estque vix ullum naturae phaenomenon, cuius ratio non rectius hodie, quam olim intelligatur.

§. 32.

Jam de methodo et ordine rerum pauca addere liceat. Difficile est, immo vero non licet in Chemicis talem adhibere rationem, qua ubsvis facilis et pronus sit a cognitis ad incognita transgressus. Etenim cum in Chemicis id maxime agatur, ut cujusvis materiei vires chemicae explicitentur, h. e. ut declaretur, quae ejus sit ratio ad ceteras materies simpliciores certe omnes, perspicuum est, nullius materiei naturam perfecte cognosci explicarique posse, nisi reliquarum materiarum fere omnium indole jam perspecta. Quod si natura ipsa nobis materies illas simpliciores, in quibus maxime virtutes et leges chemicae spectantur, exhiberet, nihil res difficultatis habet. Nam praemissa physica historica facile foret, chemicas earum virtutes explicare. Cum vero ea, quae natura ipsa nobis offert, fere omnia e simplicioribus mixta et varia ratione coalita sint, nec

nisi multa arte fecerni dirimique possint, satis perspicuum est, quamcunque rationem et ordinem ingrediari, necessario semper cognita et incognita fore permiscenda. Varium itaque Chemici scriptores rerum explicandarum ordinem sequuntur. Sunt enim, qui res pro diversitate operationum chemicarum disponant: alii, qui materiarum originem respiciant, eaque, quae regnum minerale, vegetabile, animale offerant, seorsim pertractent: alii denique, qui eas materies conjungant, quae similibus virtutibus chemicis praeditae sint. — Quamvis dubitari non possit, quin harum rationum quaevis aliquid habeat, quod possit probari, postremam tamen reliquis anteposuerim. Res enim ipsa videtur hunc ordinem exigere, videoque licet eos ipsos auctores, qui aliud ordinem sequuntur, tamen in explicandis singulis partibus plerumque ad eundem ordinem redire, cum v. c. acida, alcalia etc. quantum per suscepsum ordinem liceat, conjungant; ita ut non simplicem aliquem ordinem sequi, sed duas diversas rationes confundere videantur. Melius omnino videntur chemicae leges naturae explicari intelligique posse, si ea, quae iisdem legibus parent, conjunxeris. Quippe innumerae illae materies, quas vel natura vel ars Chemicorum exhibit, sive simplices sint, sive compositae, ad quinque fere genera, si virtutes earum chemicas spectaveris, redeunt. Prima classis continet incoercibilia. Coercibilia autem

et ponderosa sunt vel Inflammabilia, vel Salia, vel Terrae, vel Metalla. Et, quod ego quidem sciam, duae tantummodo extant materiae simplices, quae in nulla harum classium locum habent, materia oxygenica et azotica. Sed illam cum Inflammabilibus conjungi debere, huic, cum sit elementum Acidi nitrici, in disputatione de salibus locum satis idoneum esse, facile intelligitur. — De Imponderabilibus primo loco dicendum censeo, praeципue hanc ob causam, ut statim calor, in quo maximae sint vires chemicae, innotescat. — Post haec sequuntur Inflammabilia, cum Oxygenico. Et primo quidem simplices hujus classis materiae explicitur. Quibus absolutis, aquae analysis et synthesis ejusque virtutes chemicae subjungi possunt. Hanc sequatur analysis Inflammabilium compositorum, puta, spiritus vini, oleorum vegetabilium et animalium, resinarum, gummatum, etc. Nec video, quid prohibeat, continuo hoc loco organicorum, quippe quae fere tota ex meris Inflammabilibus composta sint, analysin adnectere, ita tamen, ut quae terrenae salinaeve indolis sint, suis reserventur locis. — Post Inflammabilia Salia videntur explicanda. Haec sunt vel simplicia, vel composita. Salia simplicia non sunt ea, quae in partes constituentes (Bestandtheile) omnino dirimi nequeant, sed quarum partes constituentes indolem salinam

non habent. Ita acidum sulphuricum sal simplex est, quamquam non materia simplex est, compositum enim est ex sulphure et Oxygenico, quorum neutrum salinae est indolis. Sunt autem, quod satis notum est, salium simplicium duo genera, acida et alkalia. E compositis vero nulla hoc loco praeter neutra explicanda sunt, quae cum e duabus salinis partibus constent, germanice satis significanter Doppeſalze poſſent appellari, niſi eſſent quaedam ſalium ſpecies, quas antiquiores Chemici ita appellaverunt. Salibus ſubjungendae videntur terrae, et illa ſalia compoſita, quae ſale ſimplici et terra conſtant, quaeque ſalia media terrena vocantur; haec germanice Erdſalze dixerim. Denique ſequantur metallia, de quibus vel ſingulis ſcorſim, vel omnibus conjunctim tria pertractanda ſunt. a) Primo enim nonnulla de iſpis metallis per ſe dicenda ſunt, quae ſane ſunt pauca. Etenim in omnibus, quas vel natura vel ars exhibent, materiis, vix quidquam eſt, in quo minus virium chemicarum iſit, quam in metallis iſpis. Etenim praeter Oxygenicum vix quidquam eſt, cum quo chemice coēant, et quod quaedam vel inter ſe, vel cum ſulphure, vel cum materia carbonica coēunt, id fortaffe magis ſolutione, quam affinitate et mixtione chemica fieri dicendum eſt. b) Quo magis mirandum eſt, tantas tamque mirabiles vires chemicas in eſſe metallis oxydatis, (quae et calces, terras metallicas ap-

pellantur), quae germanice Metallerden dixerim, quod cum terrae speciebus satis multa communia habeant, vulgarique etiam loquendi usi terrae appellantur. c) Denique salium metallicorum natura et virtutes explicandae sunt, quae germanice Metallsalze dici possunt.

Haec de chemicis: quorum quae judices periti forte probabunt, ea non tam mihi, quam summis hujus aetatis Chemicis, imprimis celeberrimi humanissimique Klaproth'ii fructuosisimis scholis, doctissimi et celeberrimi Gren'ii locupletissimis libris deberi, et agnosco, et grato animo fateor.

De Physica organicorum.

§. 55.

Tertia Physices theoreticae pars est ea, quam Physicam organicorum appellavimus, quae eadem vulgo dicitur Physiologia.

Est autem Physica organicorum disciplina ea, quae versatur in legibus naturae organicis investigandis constituendisque.

Peculiaribus quibusdam naturae viribus, et a mechanicis chemicisque maxime diversis, corpora organica et gigni, et, dum sunt, obnoxia iis esse, ex iis satis perspicuum credo, quae de hac re supra §. 25. et 26. disputata sunt. Has autem vires non minus certas determinatasque leges sequi, quam reliqua virium genera, vel ex hoc manifestum est, quod corporum organicorum forma

et reliqua indoles, si quid usquam in tota natura, immutabiles semperque similes sibi sunt.

§. 54.

Dubitari non potest, quin nostra aetas etiam in hoc scientiae genere egregie profecerit, vel hac ipsa re, quod nunc deum vidimus etiam organicae naturae esse suas leges, a reliquis naturae legibus prorsus distinguendas. Ac si Physiologi viam illam, quam post ill. Hallerum acutissimi ingenii viri, Blumenbachius, Girtannerus, Fontana, Sommeringius, a Humboldt aliique ingressi sunt, persequentur, si organica phaenomena prorsus non modo a mechanicis et chemicis, verum etiam a psychicis segregabunt, si non quaerent vires, quas quasi oculis conspicere, manibusque tangere possint, sed leges tantummodo earum non fingere quidem, sed ex ipsis phaenomenis eruere diligentissime studebunt, spes est, fore, ut illa caligo, quae etiamnum hanc Physices partem premit, aliquando dissipetur.

§. 55.

Caeterum Physices organicorum duae sunt partes, quarum altera plantarum, altera animalium physiologiam organicam absolvit. Illa versatur non nisi in legibus virium formativarum contemplandis, haec etiam disputationem de viribus vitalibus his adjicit. (cf. §. 25. et 26.). De utra-

que hoc monendum videtur, ne quis Physiologiam confundat cum Anatomia, quae ad historiam potius, quam dogmaticam Physices partem referenda est. Etenim si quis vegetantium, vel viventium corporum internam structuram, sive eam, quam oculo inermi, sive quam non nisi microscopiorum subsidio contemplari possumus, explicet, is non leges virium organicarum, sed formam corporum organicorum exponit, quod argumentum totum historicum est.

Caeterum, quae utriusque partis capita constituenda, quoque ordine singula argumenta tractanda sint, de his quid sentiam, prescribere non audeo, cum me tironem esse in hoc scientiae genere, et sciam, et consiliter non pudeat.

§. 36.

De Physica psychicorum.

Quarta Physices theoreticae pars est ea, quam supra §. 29. psychicorum Physicam diximus; estque eadem, quae vulgo Psychologia empirica appellatur.

Est autem Physica psychicorum naturae phaenomenorum disciplina, quae versatur in legibus virium psychicarum investigandis constituendisque.

Dubitavi diu, num hanc disciplinam, quam hucusque totam Philosophi sibi vindicaverunt, recte disciplinis physicis adnumerare. Sed praeneunte

eunte saeculi hujus profundissimo ingenio, illus
trissimo Kantio, ausus sum eam Philosophiae di-
tioni eripere, Physicaeque vindicare. Nec, nisi
omnia fere, quae hucusque explicavimus, falsa sint,
alius ei locus vindicari debet. Quid enim? num
mentem ipsam non partem naturae, num vires
illi insitas non naturales dixeris? Praeterea,
quantumvis inter se differant definitiones, quas
ipsi de philosophia philosophi protulerunt, in hoc
tamen omnes, credo, consentiunt, philosophiae,
quae propriè dicitur, nihil adnumerandum esse, quod
empiricum sit, sive, ut ajunt, a posteriori cognos-
catur. Est omnino et psychologiae quaedam pars
philosophica, quam Wolfius psychologiam ratio-
nalem appellavit, rectissimeque ab empirica sepa-
ravit. Sed illud Psychologiae cum reliquis Phy-
sices partibus, vel omnibus potius omnis generis
disciplinis dogmaticis commune est, ut habeant
partem aliquam mere philosophicam, quae ea
contineat, quae ex ipsa disciplinae idea, reique
objectae, quam tractat, notione sponte, vel, ut
ajunt, a priori fluant.

§. 37.

Etiam hujus disciplinae partes et argumenta
leviter tantum attingere mihi licet; sentio enim
me et in his vix mediocriter esse versatum. Tri-
bus plerumque capitibus absolvunt Psychologiam
empiricam, et, quod ego quidem videam, recte,

D

Nam primo differendum est de affectione, quam patitur animus, dum a rebus externis afficitur, hoc est, de sensu, (non de sensibus; organorum enim structura, motusque et affectiones, quae in iis ipsis a rebus externis excitantur, physiologica potius sunt quam psychologica). Deinde disputandum est de iis, quae in animo fiunt, dum ipse animus in externa reagit, h. e. de voluntate: quae vero tum in nervis et muscularis fiunt, in Physiologia explicanda sunt. Inter haec duo denique interjiciendum est caput de representatione, tanquam commune illorum vinculum. Etenim voluntas non nisi representationibus determinatur: representationes autem sine sensu nullae sunt. Nam et si discrimen non ambiguum sit inter sensationem et representationem, (qui enim apertis oculis aliud quid cogitat, sensationem quidem, sed non representationem rerum objectarum habet); facile tamen intelligitur, non nisi a sensu originem habere cujusque representationis materiam, cui interna quaedam vi et functione mentis representationis forma induatur.

Hactenus de Physices dogmaticae parte theoretica,

S E C T I O V I I.

*De Physices dogmaticae parte posteriori, seu
de Physica applicata.*

§. 38.

Accedimus jam ad postremam dogmaticae vel totius potius Physices partem, quam supra §. 28. applicatam appellavimus. Est vero haec disciplina ea, quae, quatenus quidem licet, ipsorum naturae phaenomenorum, per leges in Physica theoretica enucleatas, explicationem tradit,

§. 39.

Scilicet aliud quid est, leges naturae evolvere, aliud ipsa naturae phaenomena iis legibus explicare; v. c. aliud agit, qui leges motus solidorum, leges Electricitatis, leges solutionis chemicae, leges inflammationis spontaneae etc. eruit, experimentisque confirmat; aliud, qui illis legibus jam constitutis et certis, motum corporum coelestium, naturam fulminis, originem aquae pluviajilis in aëre, eruptionem Vulcanorum etc. explicat.

§. 40.

Separanda haec sunt non minus, quam ea, quae in Mathesi pura et applicata tractantur. Etenim cum per se consentaneum est, segregare diversa, tum satis multa existunt naturae phaenomena,

quae in nulla Physices theoreticae parte recte et absolute explicari queant, propterea quod e quatuor generibus virium naturalium nullum per se sufficit ad ea explicanda, sed plura simul spectanda sunt. Quis enim v. c. phaenomena meteorologica, quis plantarum animaliumque nutritiō nem explicaverit, nisi vires mechanicas, chemicas, et organicas simul consideraverit.

§. 41.

Absolvitur autem haec Physica applicata duabus partibus, quarum prior exhibet explicationem phaenomenorum naturae, cuiuscumque demum sunt generis, quae in hoc terrarum orbe se nobis offerunt, quae appellatur *Geographia physica*. Altera pars rationem reddit eorum, quae extra terram spectantur, appellaturque *Astronomia*.

§. 42.

Soliti hucusque sunt scriptores physici, haec continuo Mechanicis subnectere, quod vituperari non debuit, quo tempore disciplina chemica et organica spissis adhuc tenebris involverentur. Sed cum nostra aetate benignior jam lux etiam his Physicae regionibus affulserit, melior sine dubio via, quam illa lux declarat, sequenda est.

§. 48.

Fortasse olim erit tempus, quo Physicae applicatae tertia pars addi poterit ea, quam ill. Kan-

tius appellat *Naturae historiam*, (cf. §. 5.), quae longe alia est quam *Physica historica*, sive *descriptio rerum naturalium*. Scilicet mente quidem concipi potest idea alicuius disciplinae, quae narret et declareret, quibus viribus agentibus, quibus rerum commutationibus factum sit, ut hic orbis terrarum, et universus omnino mundus hanc, quam nunc cernimus, formam induerit. Sublimior est haec quaedam *Physices pars*, nec fortasse unquam absolvenda, nisi reliquis *Physices* partibus perfectis et absolutis. Quamquam et huius disciplinae fundamenta nostra aetate jacta viideas. Etenim quae *Geogonia* appellatur, pars est historiae naturae. Quid? quod ea, quae immortalis Herschelius tanquam extra hujus mundi terminos diligentia arteque summa detexit, nebulae earumque commutations, serae demum posteritati universae Naturae aliquam *historiam* polliceri videntur. (v. Bode's astr. Jahrb. 1794. p. 213. sqq.).

Hactenus de singulis *Physices* partibus; jam quaedam generalia adjiciamus.

S E C T I O V I I I .

Monita quaedam ad cultores disciplinarum physicarum.

De genuina in Physicis explicandi ratione, et usu hypothesum.

§. 49.

In Physica dogmatica est aliqua phaenomenorum explicandorum ratio spuria, qua, quamvis ingeniosissime adhibita, nihil explicatur, nec quidquam veri luminis accenditur. Quae qualis sit, jam explicemus. Nulla est pars Physices, quae discrimen inter genuinam et spuriam illam explicandi rationem manifestius reddat, quam Optica, cui utrumque genus, et a viris quidem acutissimi ingenii adhibitum est. Altero luminis theoria ad summum perfectionis gradum provecta est, ex altero nihil prorsus lucri ad nos redundavit nec unquam redundabit.

§. 50.

Theoriam Optices Newtonum experimentis diligentissime et ingeniolissime institutis, Eulerumque vestigiis illius insistentem, sed acutissimis calculi artificiis usum, ad summum perfectionis gradum produxisse, quis ignorat? Idque factum esse, non investigando, quae et qualis sit luminis materies, sed tantummodo diligenter obser-

vando, quas leges effectus luminis sequerentur, sa-
tis perspicuum est. Etenim haec theoria manet,
manebitque aeternum firma et inconcussa, quam-
vis ipsa luminis materies, h. e. causa, quae illa
phaenomena proferat, ut est, prorsus ignota ma-
neat. Nititur enim fundamento, quod quidem
tale est, ut firmitatem ipsius explorare possis, si-
mul atque lubeat, repetitis illis experimentis,
quibus leges opticae detectae sunt.

Sed fuerunt inter Newtoni discipulos, qui hac
explicandi ratione non contenti sublimius quid
quaererent, et ipsius luminis naturam ad sensus et
phantasiam revocare conarentur, statuentes lumen
consistere minimis quibusdam, dici non potest
quantillis, particulis e corporibus luminosis ef-
fluentibus. Potius Newtonianos Eulerus aliam,
magis probabilem, sed non magis tamen felicem
rationem ingressus, ingeniosissime aetheris finge-
bat certam aliquam rationem et naturam, qua
oscillationes celerrimae a lumine excitarentur, ocu-
losque ferirent. Sed magnus mihi erit Apollo,
qui mihi demonstraverit, quidquam novi aut cer-
ti in Opticis ex hujus generis hypothesisibus pro-
fluxisse. Nituntur enim tali fundamento, cuius
firmitas (etiamsi vera sint omnia) explorari
nulla ratione potest; scilicet non experimentis,
sed figmentis, quae ad sensuum judicium nullo
modo possunt revocari, et hoc ipso falsa sunt,
quod ea ipsa, quae nullis sensibus percipi queunt,

ad intuitivam quandam rationem revocare conetur. Praeterea haec explicandi ratio etiam hoc vitio laborat, ut rem obscuram per aequae obscurum, vel interdum per obscurius illustrare velit. Nam quae est illa vis, quae vel luminis particulas e corpore luminoso ejiciat, vel aetheris oscillationes excitet? unde oritur? qua ratione permanet augeturque? num haec magis perspicua sunt, quam ipsorum luminis radiorum natura?

§. 51.

Fuit olim tempus, quo hac spuria explicandi ratione omnes fere Physici uterentur; nec post ipsum Newtonum, qui saniorem rationem introduxit, defuere, qui interdum antiquiorum lubricis vestigiis illis insisterent.

Ut enim Epicureorum atomos, Cartesii vortices, et similia omittam, ex eodem genere sunt, etiam in Mechanicis, vortices magnetici, elasticitatis explicatio per figuram quandam, et nexus particularum minimarum, vaporis explicatio per bullulas in aëre nantes, fluiditatis explicatio per globulos, quibus fluida constent etc., in Chemicalis Phlogiston Stahlii, Alchimistarum elementa et similia, in Organicis generationis explicatio per praeformationem etc. etc.

§. 52.

Una vera et genuina explicandi ratio est ea, quam in Astronomicis Keplerus et Newtonus, in

Opticis idem Newtonus, in Mechanicis Galilaeus nec non idem Newtonus secuti has Physicae partes ad summum perfectionis fastigium produxerunt. Perfecere autem id, non investigantes ea, quae scire haud licet, et pro phaenomenorum causis iis, quas natura omnibus nostris sensibus subduxit, quaedam figurae ingeniose comminiscentes, sed diligenter observando ea, quae in sensus cadunt, legesque, quas phaenomena sequuntur, eruendo. An credis Newtonum melius Astronomiae confunduisse, si de causa gravitatis pulcherrima quaedam figurae commentus esset potius, quam quod omisfa hac tota quaestione leges tantummodo erueret, quas haec vis naturae mechanica sequeretur?

§. 53.

Scilicet tota rerum natura ita comparata est, ut, quidquid in ea fiat, id certo quodam et praefinito ordine, h. e. lege fiat. Ac si fieri posset, ut quispiam mortalium omnes illas leges penitus pernosceret, perspicuum est, fore, ut is, quaecunque in rerum natura fiunt, explicare possit: quid vero amplius est, quod quaeras in Physicis? Axiomatis ergo loco hoc mihi confirmandum, Physicisque etiam atque etiam commendandum videtur, ut ne quid aliud in Physicis investigent, nisi leges phaenomenorum, nec de iis, quae sensibus ipsa natura subduxit, quantumvis ingeniose comminiscantur.

¶. 54.

Sed dixerit fortasse quispiam, haec in Mechanicis locum habere, Chemicorum, Physiologorum etc. aliam esse rationem. — Sed quid, quaeſo? an arbitrariſ chemicas vires vagas elle, nec certo et praeſinito ordine agere? an credis, ſi quis Acidum sulphuricum miſceat Natro, non ſemper ſal neutrum illud, quod mirabile Glauberi appellant, ſed modo hoc, modo Nitrum, modo Alumen, modo aliud quid prodiſtum? Ergo ſi ante certoſcias, quid prodiſtum fit certis quibusdam materiebus mixtis, nonne te leges quasdam chemicas noviſſe credes? Sed inter Chemica et Mechanica hoc tantummodo diſcrimen eſt, ut in hiſingenio humano contigerit, non modo ſinguſtorum phaenomenorum leges obſervare, ſed leges quasdam generales easque maxime ſimpliſces reperire, in Chemicis vero hucuſque non idem; quamquam et in hiſ leges quasdam ſaltem generaliores nobis innotuiſſe, non eſt inſiciandum; e quo genere ſunt verbicaufa haec: acidum quodvis unicuique alcali mixtum, ſal aliquod neutrum, Oxygenicum unicuique metallo mixtum, terram aliquam ſeu calcein metallicam conſtituere, combustionem non fieri niſi materia oxygenica praefente, cujus certa pars legitimo caloris gradu excitato coaleſcat cum corpore, quod comburatur, cumque eo novam aliquam materiam conſtituat etc. Quanti ſit, leges naturae

investigare, vel ex hoc apparebit, si consideres, quanta incrementa immortalis Lavoiserius hac una postrema lege reperta universae disciplinae chemicae attulerit.

§. 55.

Organicorum similis est ratio: etenim et organicae vires legibus quam maxime certis determinatisqne parent. Quis enim nescit, generandivm in plantis talem esse, ut omnes in genere suo, imo vero in specie sua permaneant, nec unquam semen v. c. Pinus Abietis proferat Cedrum vel Laricem, nedum Quercum vel alius generis arborem, et esse in speciebus quaedam constantia, quae nec natura unquam mutet, nec ars possit mutare? At si Physiologorum libros evolvas, saepius quam in reliquorum Physicorum libris illud spurium explicandi genus offendes, quod non mireris. Ubi enim ipsa natura vestigia sua spissoribus contexit tenebris, quid est facilius, quam ut ipsa illa, quae in nobis est, laudabilis, imo vero divina investigandi cognoscendique cupido a naturae semita aberret, proque veritate nebulas sequatur et commenta?

§. 56.

Num igitur omnes hypotheses e physicis peliamus? Minime vero. Etenim est quoddam genus hypothesum in Physicis perutile, imo vero

unice fere inveniendae veritati accommodatum. Scilicet cum in Physicis nihil nec quaeri debeat, nec invenire liceat, nisi leges phaenomenorum, nullum etiam aliud genus hypothesium admittendum est, quam leges hypotheticae. Si phaenomenorum certi generis legem ignores, finge legem, modo talem, quae saltem nonnullis ejus generis phaenomenis satisfaciat. Jam si phaenomena ista talia sint, ut possis ea, quotiescumque velis, repetere, brevi animadvertes, utrum vera sit illa lex hypothetica necne? Sin non liceat ipsa phaenomena repetere, certe progressu temporis declarabitur, an lex ea naturae sit consentanea necne. De lege motus Cometarum Astronomi ante Newtonum varias fingeant hypotheses. Nonnulli enim eos motu rectilineo, alii spirali ferri volebant, alii aliter. Sed quamvis cometas non licet advocare, quotiescumque velis, tamen ipso temporis progressu omnes istae hypotheses refutatae sunt, donec Newtonus non quidem hypothesis, sed demonstratione e lege gravitationis declararet, moveri eos non nisi per sectionem conicam posse. Sed ipsam gravitationis legem vir summi ingenii non nisi hypothesium ope invenerat. Cum enim perspiceret, lunam in ellipsi circa terram ferri non posse, nisi esset quaedam vis, quae eam quovis temporis momento a linea recta, quam omnia corpora mota per solam inertiam sequuntur, ad terram retraheret, simul in his terris manife-

fiari similem quandam vim, quam gravitatem appellamus, hypothetice statuit, haec phaenomena ex eadem vi pendere, easdemque leges servare. Calculo deinde instituto, cum cerneret, vim eam, quae lunam ad terram retraheret, multo esse minorem, quam eam, qua corpus cadens ad terram feratur, hypothetice statuit, vim illam talem esse, ut pro distantia majori minueretur. Porro cum sciret, lunam sexagies ferme longius abesse a centro terrae, quam ea ipsa corpora, quae sunt in superficie terrae, vim autem illam, quae lunam retraheret ad terram, esse fere 3600ies minorem, quam gravitatem in superficie terrae; per hypothesin statuebat, esse vim gravitatis in ratione inversa quadratorum distantiae. Conferenti igitur hanc legem hypotheticam cum motu planetarum, facile apparet, eum huic legi plane consentaneum esse, ut jam dubitari non posset, ipsam naturae legem esse repertam. Eandem viam et in reliquis partibus Physices patere, quis non perspiciat?

§. 57.

Genuinarum et spuriarum igitur hypothesium hoc criterium habeto: genuinas et utiles esse eas, quas observationibus aut experimentis rite et diligenter institutis examinare, et utrum verae an falsae sint, ad liquidum perducere possis: quae vero e contrario ita comparatae sint, ut nulla ratio ne veritas earum examinari et dijudicari possit,

has, quantumvis ingeniose excogitatas, esse spurias. Sunt tamen in hoc genere quaedam hypotheses, quae tolerari quidem possint. Utile enim interdum est non scientiae sed institutioni, ea, quae sensibus natura subduxit, ad intuitivam aliquam rationem revocare; sed monendi sunt etiam atque etiam tirones, ne ejusmodi hypotheses sive modos concipiendi pro veris et compertis habeant. Sic ferri potest Newtoniana de natura luminis hypothesis, si nihil aliud agas, quam ut subsidium aliquod tirorum phantasiae praebeas; si modo carveris, ne certis eam Physics theorematis adnunciemerent.

De usu prospectus systematici partium alicujus disciplinae.

§. 58.

Explicavimus in hac dissertatione ordinem et nexum systematicum omnium disciplinarum physicarum. Jam paucis videamus, quae omnino sit utilitas systematicae rationis in unoquoque disciplinarum genere.

§. 59.

Duplici mihi ratione homines in hac re pecare videntur.

Sunt enim satis multi in primis inter populares nostros, qui nihil prorsus solidae et firmae eruditonis in te esse posse arbitrentur, nisi omnia

ordine systematico pertractaveris, puerque jam prima elementa systematice didiceris.

Sunt vero et alii, in primis inter Gallos, qui systematicam *ἀνεξιθεανταν* nil nisi spinas et minutias, vel, ut ajunt, Pedanismum putent.

Quorum neutrum mihi naturae veritatisque judicium videtur.

¶. 60.

Etenim solidam firmamque eruditionem in unoquoque disciplinarum genere, etiam absque systemate esse posse, non modo multa doctorum optime de re literaria meritorum exempla, e quibus unum Buffonium appellasse sufficiet, comprobant, verum etiam vel ex hoc manifestum est, quod nullum disciplinae genus systematica forma et ordine pertractari possit, nisi ipsa disciplina jam ad altiorem perfectionis gradum provecta. Quid igitur? omnesne qui ante illud tempus disciplinam excoluerunt, ignorantiae damnabis? hominesque solidae et firmae eruditionis expertes appellabis? Errant igitur, qui solidam eruditionem absque systemate non esse censeant. Qui vero ipsis adeo pueris elementa disciplinarum systematico ordine tradenda arbitrantur, profecto ipsis naturae repugnant, quae puerilium ingeniorum culturam a sensibus inchoat, maturiorique aetati et exercitatis ingenii viribus id negotii relinquunt, ut ex iis, quae sensibus percepta sint, notiones communes h. e.

simpliciores et abstractae colligantur. Qui autem systematica ratione aliquid pertractat, is non a concretis ad simpliciora, sed vice versa ab abstractis ad concreta descendit, quae methodus certe puerilibus studiis non est accommodata.

§. 61.

Veruntamen non minus illi errant, qui omnem formam systematicam respuunt et vilipendunt. Haec enim ipsa est lex rationis, ut, quidquid ingenio ac mente pertractaveris, similia conjungas, dissimilia segreges, omniaque rite ad legitimam quandam formam atque ordinem reducas h. e. sistema condas.

§. 62.

Ex his, credo, facile apparebit, quid sibi velit ratio, cum in unaquaque disciplina ideam systematici, tanquam metam, ad quam perveniendum sit, ob oculos ponat.

Scilicet cum per se manifestum sit, nullam esse posse rerum dispositionem, nisi ante res disponendas collegeris; sine dubio in quovis disciplinarum genere a singularum et individuarum rerum cognitione incipiendum est. Sed cum plurimas alicujus discipline partes perlustraveris, tum deum de forma systematica cogitandum est; idque hoc consilio, ut, quae didiceris, bene inter se cohaereant. Si enim omnes discipline partes systematico

matico ordine conjunxeris, tum demum quasi e loco altiori videbis, quid ubique desit, aut redundet, quid mutandum, quid retinendum sit. Perspicuum hinc est, systematicum cujusque disciplinae studium non negligendum esse ei, cui melior rationis ingeniique cultura sit cordi. In primis vero illud tironum magistris commendandum censeo. Etenim dubitari non potest, quin, ceteris paribus, melior sit ille magister, qui melius rectiusque rem tradendam ipse percepit. Nec assentiri iis possum, qui, quo major sit in aliquo ignorantia, eo magis puerorum captui idoneum esse conseant magistrum,

§. 63.

Expositis his, quo consilio hanc dissertationulum scripserim, paucis potero referre. Non quo vituperem eos, qui aliter partes disciplinarum physicarum conjungant. Etenim primae institutioni perutile censeo, si historicis plura e theoreticis, v. c. Mineralogicis Chemica, Botanicis et Zoologicis Physiologica admisceantur. Sed potius id mihi propositum fuit, ut declararem, quantus esset totius Physices campus, quas provincias completeretur, qui essent illarum termini, quae regiones satis hucusque cultae essent, quae cultura adhuc egerent, quae via esset aptissima ad detegenda ea, quae adhuc lateant, quique errores vitandi essent. Quae omnia me non usui tironum, sed

judicio peritiorum committere, per se manifestum est.

Naturae notio.

§. 64.

Vereor, fore nonnullos, qui me fortasse vituperent, quod Physices ejusque partium notiones expositurus, non ab initio statim, quid esset natura, explicaverim. Sed fateor me consulto hoc fecisse; jamque mihi liceat, quae me commoverint, causas evolvere.

Definire nihil aliud est, quam notionem aliquam complicatiorem in simpliciores, e quibus composita est, dirimere. Quod si quis perspexerit, facile intelliget, philosophicarum notionum longe aliam esse rationem, quam mathematicarum. Hae enim non modo ipsae, verum et simplicissima earum elementa, (quae in geometricis sunt puncta, lineae, superficies, spatium), sensu et constructione ad intuitionem possunt revocari. Philosophicae vero minime: multoque minus simpliciora, e quibus compositae sunt, elementa. Res enim, quae philosophicis notionibus significantur, non sensu possunt, sed sola intelligentia percipi. Unde sit, ut quo simplicior sit aliqua notio philosophica, eo difficilius sit, eam definire, et cum aliis communicare. Hinc philosophis non licet mathematicos imitari, qui a simplicissimis notionibus incipientes, paullatim ad complicatores trans-

eunt: sed contraria ratio ineunda est. Quae enim notiones e quotidiano loquendi cogitandique usu plurimum luminis habeant, ab his incipiendum, et paullatim abstractione ad simpliciora eoque obscuriora ascendendum est.

Igitur si notionis alicujus simplicioris philosophicae definitionem quaeras, naturae mihi via haec videtur, ut antea species (h. e. notiones complicatores) perlustres, quibus illa simplicior notio tanquam genus insit. His enim repertis, explicatis, diligenterque inter se comparatis primum erit, abstractione instituta, simplicioris definitionem reperire.

Cum igitur hac tota dissertatione id egerimus, ut omnium naturae partium ac specierum notiones definiremus, nihil amplius ad ipsius naturae definitionem inveniendam supereft, quam ut videamus, quid his omnibus, in quibus naturae notio inest, commune sit.

Nempe cum viderimus per omnes Physices tum historicae tum dogmaticae partes id agi, ut investigaretur, quid in phaenomenis sensuum constans semperque sibi simile effet (cf. §. §. 6. 12. 13. 14. 15. 17. 30. 31. 33. 36. 58.), perspicuum est, ipsam naturam nihil aliud esse, quam id quod in phaenomenis constans, vel sensu vel ratione percipi queat (Natur ist das Beständige in den Erscheinungen).

§. 65.

Haec naturae definitio mihi omnem hujus vocis usum videtur complecti, variaeque, quae in libris physicis recensentur, ejus significationes, nihil aliud esse, quam eadem notio ad diversa objecta applicata. Fateor enim, jam olim hujus notionis expositiones, quas in libris Physicorum reperiebam, mihi non satisfecisse, nec me potuisse mihi persuadere, vocis, quae semper esset in ore Physicorum, significationem tam vagam et incertam esse, ut modo hoc, modo aliud quid significaret. Nec negare possum, ipsum immortalem Kantium hac in re mihi quidem non satisfecisse, cum in libello alias praeclarissimo, metaphysische Anfangsgründe der Naturwissenschaft, in ipsius praefationis prima pagella duas, easque maxime diversas hujus vocabuli significationes, alteram formalem, alteram materialem statuerit. Distinctio ista mibi quidem necessaria non videtur, si quidem nostra definitio vera sit. Qui enim de individui alicujus corporis natura loquitur, significat ea, quae in phaenomenis ipsius constantia sunt: qui de natura universa, ea, quae in omnium rerum phaenomenis constantia sunt.

Si erraverim, saniora doceri cupio.

S E C T I O I X.

*De physicarum et mathematicarum disciplina-
rum nexu.*

§. 66.

Inter matheſin et physicas disciplinas arctissimum intercedere vinculum, quis non videt? Sunt enim in Physicis satis multa, quae carere matheſeos ſubſidio nullo modo poſſint, et ea ipſa, quae poſſint, certe illam mathematicorum *αὐτοὶ βούται*, et, ut ſic dicam, ſenſum, cujus extra matheſeos fines vix notionem adaequatam habere poſſis, non modo recipiunt, ſed etiam poſcunt. Quod quamquam teſtibus non egeat, legi tamen me-rentur, quae celeb. Kaefnerus de mathematico-rum et physicorum nexus perſpicue et eleganter, ut omnia, diſputat in libello, qui inſcribitur: An-zeige ſeiner Vorleſungen über Math. und Phyſic. Götting. 1768; item, in praef. librorum: Anfangsgründe der höhern Mechanic, p. VIII; Anmerkungen über die Markscheidekunſt, p. VI., et paſſim aliis locis. Sed jam breviter, quae ſit matheſeos utilitas, in ſingulis physicorum partibus videamus.

§. 67.

Pauca Geometrarum praecepta Phyſicæ historiae ſufficiunt, quamquam et haec quae-

dam continet, quae absque Geometria absolviri minime queant. Qua enim ratione crystallisationum figuras, corporum specificam gravitatem et similia nulla mathematica ratione adhibita definire queas? Cetera acumine certe mathematico carere non debent.

§. 68.

E dogmaticis Physices partibus ea, quam mechanicam diximus (§. 30.) tota mathematica est. Motus enim notio mere mathematica est: quare, si quam motus lex in aliquo corporum genere reperta sit, theoria inde stabilienda non potest non mathematica esse. Haecque ita vera sunt, ut, si in hujus disciplinae aliqua parte mathematica ratio adhiberi nequeat, (e quo genere sunt phaenomena magnetica, phaenomena electricitatis mechanica, multa in phaenomenis caloris mechanicis), illud indicio sit, leges motus nondum esse repertas.

§. 69.

Hinc facile intelligitur, quid ego censem de iis, qui e Physices mechanica parte mathematica exterminare conentur. Si enim scribunt cultoribus disciplinae, male sine dubio scientiae consulunt: sin in promiscuum omnium usum scribunt, ferri possunt, modo ne obliviscantur, lectores, quotiescunque idonea fuerit occasio, monere, sine mathematicorum praceptis nullam in hoc genere certainam scientiam esse posse.

§. 70.

Chemicorum alia est ratio. Materiei enim notio non est mathematica. Hinc facile perspicitur, qua ratione fieri potuerit, ut Chemici multa et pulcherrima inventa, nullo matheleo subsidio, in lucem proferrent. Sed quamvis ipsa materiei notio per se nihil mathematici habeat, tamen materiei quantitas est notio, quae mathematicum elementum continet. E quo non minus facile apparet, arctissimum aliquod vinculum inter disciplinas chemicam, et mathematicam intercedere. Et nisi omnia me fallunt, haec disciplina jam eo provecta est, ut ejus termini vix latius possint propagari, nisi mathesi adiutrice. Quid? illa ipsa ingentia et mirabilia incrementa, quibus nostra aetate haec Physices pars aucta est, nonne haec ipsa, si verum fateri volumus, mathesi debemus? An credis Lavoiferium combustionis, calcinationis, acidorum, theoriam stabilire potuisse, nisi materiarum experimenta ingredientium, et egredientium, pondera et mensuras mathematica ratione et acumine examinalset? Quique etiam nunc quotidie novis pulcherrimisque inventis disciplinam augent, celeberrimi chemici, inter nostros imprimis Klaproth, inter Gallos Vanquelin, Morveau, Fourcroy, alii, num hoc sola rerum chemicarum experientia faciunt? an possent idem praestare, nisi sensu et acumine mathematico ponderis, mensurae, numerorum

rationem haberent? Atque si paullo altius regrediamur, nonne ex illo ipso tempore, quo acutissimi diligentissimique chemici Schedius, Bergmannus, Wenzelius, non qualitatis modo, sed etiam quantitatis rationem habere coeperunt, sanior in chemicis methodus introducta est? Tacere hoc loco non licet e nostrae terrae chemicis Richterum, qui mathematica cum chemicis ingeniosissime conjungere videatur. Sed cum hoc usque nondum libris illius ea, qua opus est et decet, diligentia perlegendis vacaverim, nondum mihi sententiam satis certam de iis ferre matrurum videtur. Continent enim permulta subtiliora, attentissimeque et saepius perlegenda, et examinanda.

§. 71.

Sed, quae nunc quidem chemicorum ratio est, plus subsidii ex arithmeticis, quam e geometricis poscunt. Sed erit aliquando tempus, quo etiam Geometria, et sublimior in primis ejus pars a chemicis separari non possit. Etenim, ut nunc quidem novimus illas mutationes, quas solubilitas et affinitas materiarum vi caloris pro diversis thermometri gradibus patitur, manifestum est, eas lineis curvis construi posse. Repertis igitur olim ipsis illarum mutationum legibus, perspicuum est, curvarum illarum naturam definitumiri; quod si aliquando contigerit, appareat, fore, ut tota illa quaestio, quae maximi momenti in che-

nicis est, absque Analyseos, et sublimioris Geometriae subsidio absolvi nequeat.

Matheseos igitur universae studium etiam chemicarum rerum studiosis magnopere esse commendandum, quis non videt?

§. 72.

In organicis phaenomenis satis multa sunt, quae, nisi mathesi duce, recte explicari intelligique non possint. Quis enim piscium, avium, quadrupedum motus, quis oculi, aurisve structaram, mathematicis omissis, plane perfecteque explicet? Nec dubitari potest, quin organicarum virium ea indoles sit, ut leges, quas sequantur, rationem mathematicam habeant: quis enim nescit, in corporibus organicis figuram, partium aptam proportionem, magnitudinem, et ut verbo dicam, omnia rite esse determinata? Sed ut nunc quidem res est, longissime absimus a mathematica ipsarum illarum legum cognitione. Ceterum satis perspicuum est, etiam in physiologicis mathematicam *ανθρώπου* perutilem certe, imo vero necessariam esse.

§. 73.

Non audeo de psychicorum cum mathematicis nexu quidquam vel affirmare, vel negare. Etenim quamvis nunc quidem non appareat, quae ratione ea, quae tantummodo interno sensu percipiuntur, ad numeros et mensuram revocari pos-

sint, multa tamen hominis ingenium et diligētia effecit, quae olim fieri posse nulla ratione videbantur. Quid? quod probabilitatis calculus declarat, ipsas mentis internas affectiones calculum non respuere.

§. 74.

Physicam applicatam hoc loco commemo-
rare vix necessarium videtur. Qui enim ea consi-
deraverit, quae in hac parte explicanda sunt (Sect.
VII.) facile intelliget, eam nullam fere esse, si,
quae mathematica sunt, ejicere volueris.

§. 75.

Fortasse et hoc aliqui lectorum quaerent,
utrum matheſin applicatam cum physiſis conju-
gandam, an ſeparatim tradendam ceneant. Quae
quidem quaefio mihi ex illarum genere eſſe vide-
tur, quas per ſe nec affirmare, nec negare liceat.
Judicium enim rei non e rerum tractandarum na-
tura, ſed e conſilio ſcribentis pendet. Si quis
enim Physices dogmaticae ſyſtema conſcribere
velit, nonne maxime erit vituperandus, ſi, quae
mathematica ſunt, omittere voluerit? Contra ſi
quis hoc agat, ut ex omni disciplinarum genere,
in uſum ſtudiorum matheſeos, colligat ea quae
mathematica ſunt, quis hoc poſſit vituperare?
Praeterea matheſis applicata multa habet, quae
cum physiſis conjuſti vel non poſſint, vel non

debeant, quod non sint physici argumenti. E quo genere sunt omnia technica; v. c. in Mechanicis machinarum theoria; etenim ne mechanicae quidem quae appellantur potentiae mihi in Physicis explicandae videntur; vectes enim et trochleae etc. non naturae sunt, sed hominum instrumenta, ac si forte in quibusdam physicis explicandis theoria earum carere non possis, ea, quibus opus est, tanquam lemmata ex matheſi applicata petenda arbitror. Ex Opticis eandem ob causam teleſcopiorum et microſcopiorum theoriam, ex Astronomicis Gnomonicam, Chronologiam, Nauticam, physicis non admiscendam censeo. Architectonica cum physicis prorsus confundi non posse, per ſe manifestum est. Cum igitur quaedam necessario separanda ſint, vituperari non potes, ſi omnia, quae mathematica ſunt, ſeorsim tradas, modo diligenter conſideraveris, quibus lectoribus et quo conſilio ſcribas.

§. 76.

Iis vero, qui in tironum uſum ſcribunt, multa concedenda arbitror, quae ratio ſystematica reſpuuit. Liceat historicis multa e Physica dogmatica, theoreticis multa e Physica applicata annectere. Liceat in physicis mathematica interdum, ſi profundioris ſint Scientiae, omittere, ſaepius ſi captu facilia ſint, addere, interdum et technica attingere, et ut paucis dicam, liceat adhibere, quidquid alli-

ciendis juvenum animis aptum videatur, ita tamen, ut eos sensim legitimo et systematico rerum ordini adsuefacias.

§. 77.

Hactenus haec de physicis dissertatio, quam non ita conscripsi, ut crederem, me nova quaedam et inaudita in lucem proferre posse; difficile enim est in tanta diligentissimorum et acutissimorum hominum abundantia nova in aliquo disciplinarum genere proferre. Scio praeter illos libros quos ego quidem perlegi, quorumque illos, qui scribentis memoriae succurrebant, citavi, multos et egregios quidem esse, quos mihi ex multis jam annis angustissimis temporis limitibus circumscripto, non dicam perlegere, sed ne leviter quidem perlustrare licuerit. Si igitur in aliquo libro a me non laudato, his meis omnibus vel partibus eorum simile quid occurrat, non modo facile patior suum cuique attribui, sed ipse id candide fatetur, ut primum mihi innotuerit. Non enim scribere volebam, quod novum, sed quod utile esset. Ac si judices aequi et periti me hoc assentum esse censeant, voti, quod animo conceperam, me compotem confitebor.